

## HUNGARORUM GRASSATIONES. 147

mannis iuxta flumen Ine seu Oenum occisi, ut refert Hermannus contractus ad annum 912. Postea anno 915. teste Lamberto Schafnaburgensi *vastando venerunt usque Fuldam*, per Alemanniam, Turingiam & Saxoniam ferro ac igne grassantes, ut continuator Reginonis & Anna-  
SECVLVM X.  
Pist. T. I. p. 255.  
 lista Saxo commemorant. Auctor seriei abbatum Fuldensium coævus de Huoggi abbate, qui eo anno V. idus Iunii obiit, apud Eccardum ita scribit: *novissime, paganis monasterio irruentibus, meritis S. Bonifacii audacter, ut erat valde audax & prudens, divina se protegente gratia resistebat, & de ipsis finibus viriliter eiecit.* At mox sequentibus annis 916. & 917. attestantibus passim memoratis chronographis, reversi per Alemanniam venerunt usque Alsatiam, ut habet MS. chronicon S. Blasii ad an. 918. quo etiam, seu priore iam 917. Basilea ab ipsis destructa legitur apud Hermannum contractum: ex quo item discimus, Hungaros an. 918. per Alemanniam & Alsatiam Lotharingiam quoque invasisse. Idem vero ad annum 925. scribit: *Ungaris item Alemanniam vastantibus, & ad cœnobium S. Galli venientibus, Wiborada virgo inclusa a quodam eorum perempta, martyrio coronatur: Rachildisque contectalis eius illæsa divinitus conservata est.*  
Rev. Franc. Orient. T. II. p. 842.  
Pistor. T. I. p. 257.

Prætereunda hic censemus, quæ de multiplicibus his Hungarorum in terras nostras irruptionibus ad sequentes proxime annos passim referunt superius iam citati annalistæ. Mirari tamen subit, apud ipsum Hermannum Augiensem desiderari, quæ Ekkehardus Junior apud Goldastum de sævis hisce hostibus, *Augiam quoque navibus subductis, armatis multis in circuitu fulgidam trans-euntibus, & utramque Rheni ripam cædibus ac igne pervadentibus refert.*  
Antiq. Alem. T. I. P. I. p. 35.  
 Memorat ibi nominatim & *Seckingensem* sanctæ crucis locum, quem invasuri ex utraque parte confederant. Cum primis vero in pago, quem *Fricowe* dicunt, Hermingerum virum haud adeo præpotentem, manu tamen, & brachio validum celebrat, qui turmam illam cis Rhenum, a fociis, qui ultra Rhenum erant, distinctam intempesta nocte invaserit, & omnes pene, exceptis iis, qui fluvium istum fuga transnataverant, aut occiderit aut demerferit, spectantibus fociorum interneconem transfluminabilibus hostibus. *Dum hæc sataguntur*, subdit, *navibus Ungri de Schwarzwalda multis paratis in Alsatiam ipsi priores suas legiones transponunt, ita Luitfrido quodam terræ illius potentissimo, bello suscepti, plurimo damno sui cruentam victoriam sunt adepti.* De Luitfrido hoc an. 925. ab Ungaris fugaro infra recurret memoria, ubi de monasterio S. Trudperti, agemus.

T 2

Præ-